

Turneræ

Hydrophylli

Osyris

Collinsoniæ

Frankeniæ

si modo habeas et supersint abs Tuo incommodo.

Vive artis nostræ decus diutissime; Devota mea dicas officia Illustrissimo Raumurio (cui grates pro libro de pullitione), Mad. Bassaport, Laserre. Vale.

Dabam Upsaliæ, d. 10 Augusti, 1750.

---

ILLUSTRISSIMO BOTANICO

DD. BERN. JUSSIÆO,

S. PL.

C: LINNÆUS.

DISCEDENTE alumno medicinæ et præprimis Chirurgiæ ad vestras beatas terras, non possum intermittere testari gratum animum in Amicum, quem præ omnibus colo et magni facio.

Mitto una simul Poam viviparam Fl. Lapp. 79.  $\beta$ . ex alpibus Lapponicis, quod apud nos in Horto læte germinat, et perennat necnon seritur, modo terra sit humidiuscula postquam fuerit satum seminibus vel potius propaginibus non exsiccatis. Gramen hoc non est proliferum sed vere viviparum, nec in folia excresecunt glumæ, sed semina. Propagatur omnino more muscorum; cui simile in herbis non vidi præterquam in graminibus alpinis.\*

Nuper vidi characterem essentialem Cardiacæ, qui consistit in punctis glandulosis vel globis minutissimis niveis adpersis supra antheras ab utroque latere. Hæc nota obtinet in Cardiacâ vulgari; Leonuro utroque Horti Upsaliensis et Sideritide 1 et 2 Horti Cliffort. Quæso inspicias nudis vel armatis oculis, si non antea vidisti hoc phænomenon, qui omnia vides plus quam Lynceus.

In horto crevère Veronica prima Fl. Succicæ † et Verbena vulgaris in eodem pul-

\* *Poa alpina*,  $\beta$ ., L. Sp. — Miror mirari Linnæum: nam minus rarus, ut compertum est, in Gramineis monstrosus ille spicularum in ramulos foliosos transitus, præcipue in Pois, non alpinis tantum, sed et nostratibus, v. g. in Poâ bulbosâ, ubi forma vivipara normali frequentior.

† *Veronica maritima*, L. Sp.; hybrida autem filia *V. spuria*, L. Sp. — Ex quo experimento orta Dissertatio (*Plantæ hybridæ*, resp. J. Haartman, Upsaliæ, 1751, et in Amcen. Acad., Vol. III.), ubi tot ingeniosa et meditatione digna, sed simul conjecturæ et ipsæ observationes naturæ leges sæpius prætergressæ, dum auctor plantas genere, imo ordine, diversas et etiam longe dissitas maritari et gignere inter se posse admittit. Itaque miratur et *novum in naturâ spectaculum prorsus stupendum* declarat in epistolâ responsoriâ Bernardus.